



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. Politia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Albania inferiori, & parua Græcia, quæ Despotatus vocabatur, præfuerunt Tochijs Epirotæ, ex genere ut aiunt Torilæ, cuius ultimus Despota Leonardus per Amurathem secundum spoliatus in Italiâ consenuit.

Nunc verò per plures Saniacos administratur Albania, ut videbimus in Turcogræciæ Geographiâ. Aiunt tamen plerosque seruitutis Turcicæ exfortes esse, & eos armare posse 30. equitum millia ad bellum Turcis inferendum, modò ut arma, pecuniæ, & periti Duces ad eos appellant. Certè ad bellum Turcis inferendum necessarij videntur; contra quos quàm peritè pugnare queant demonstravit Scanderbegus; cui si Europæi coniunxissent vires suas, actum erat de Ottomanico Imperio. Hic moriens ditionem suam Venetis legarat, sed hanc tueri non potuerunt, utpote à mari nimium remotam.

§. 6. De Negroponte, seu Eubœa.

N V M. 1. Nomen.

NOMEN accepit ab Euripo, quod leuiter detortum est in *Negropont*, ut omnes arbitrantur Geographi.

N V M. 2. *Quantitas Negropontis.*

Longitudo eius procurrit à Promontorio *Lytar* ad Prom. *d'Oro*, & 2. gradus maioris circuli cum 10. minutis continet hoc est 130. millia passuum, leucas nostrates 65. Germanicas 32 $\frac{1}{4}$.

Latitudo ab vrbe Negroponte ad Pro. *Castaro* dimidij gradus, hoc est 30. mill. pass. 15. leucarum Franc. 7 cum dimidiâ Germanicarum.

N V M. 3. *Qualitas Negropontis.*

INSVLA hæc feracissima frumenti maximè, quo potissimum vtuntur Veneti, ad muniendas Insulas suas maris Ægæi: hinc quoque plurimum mellis, lanæ, serici, lini, ceræ exportatur.

N V M. 4. *Politia Negropontis.*

VENETIS paruit, quibus assignata fuerat à Rabano Carcerio eius Duce, ne à Turcis occuparetur; à quibus tamen anno 1470. subacta est, per Mahumetum secundum, qui in eam atrocissimè

defæuit, puberes omnes iugulauit, impuberes cum mulierculis Constantinopolim abduxit, vnde nouas Græcorum, & Turcarum colonias huc submitit.

CAPVT IV.

De Venetâ ditioe in Græciâ.

CRETAM Insulam ægrè reseruauere sibi in Ægæo mari Veneti ex quo perdidere Cyprum, & S. Ioannis Hierosolymitani equites ex Insulâ Rhodo eiecti sunt. Exinde tamen sapientiâ suâ perfecere, vt in fide persisteret à quo fidem nullam solent expectare Christiani, nam ab eo tempore non Cretam modò, sed & Cytheram, & Tenum præfidiis retinuere Veneti vsque ad nostra tempora, quibus bella inter Christianos Europæos, Turcam ad fœdera violanda impulerunt.

§. I. *De Insulâ Cretâ, seu Candiâ.*NVM. I. *Nomen & Quantitas.*

DE nomine nihil occurrit quod dicam, nisi quod *Candia* dicatur, habeatque primariam ciuitatem iam toti Insulæ cognominem.

Quantitas eius spectata secundum *Longitudinem* ab *Hermico* Prom. ad Prom. *Salomonis* 4. gradus maioris circuli continet; ideòque 240. mil. pass. leuc. Franc. 120. Germ. 60. Secundum *Latitudinem* verò à *Cabo Sasoni* ad ostia fluij *Linceo* gradum vnum complectitur cum 10. minutis, igitur 70. mil. pass. 25. leucas Francicas, 17. cum dimidiâ Germanicas.

NVM. 2. *Qualitas Crete.*

FERTILITATEM Crete id maximè arguit, quòd in quibusdam eius Insulæ locis, bis in anno seratur, bis metatur. Vinum hinc generosissimum effertur, vulgò *de la Maluoisse*, olim vinum *Pramnium*. Tota est penè cupressis confita, vnde Veneti arculas faciunt suas. Montes etiam pascuis læti, quare hinc armenta Bucera, & oves innumeræ. Neque ceruos, neque lupos, aut vrsos & vulpes